eundum commisi et ad confirmandum me subscripsi. Ego Johannes Philipponi de Inuigia mediolanensis notarius hoc instrumentum traditum seu rogatum per predictum Ambrosium bugia notarium de ipsius mandato a rogationibus ipsius extraxi et me subscripsi. Nulli ergo et cetera. Datum Auinione iiij. Non. Junij Pontificatus nostri anno xvij. Jud. magistris Berardo de piano sacriste ecclesie Magalonensis et Petro marini Canonico Xanctonensis.

1621 Dilecti apostolice sedis nuncijs.

Romana mater ecclesia filiorum quorum salutem sollicitudine studiosa prosequitur culpas et excessus corrigere satagit et inde sepius prouocata eos tamen cum relictis penitus eisdem culpis et excessibus suum ... eius contritis et humiliatis cordibus repetunt benigne recipere et pietate materna confouere consueuit interdum spe concepta de illis quod matris ipsius benignitatem et gratiam debita gratitudine cognoscentes ergo eam fideliores et deuotiores reperientur post lapsum. Sane dilecti filij Guidobus de Calice dilectorum filiorum cleri Ciuitatis et dioc. et Johannes de pontirolo ciues mediolanenses Communis et populi Ciuitatis et Comitatus et districtus mediolanensis Sindici et procuratores et nuncij ad nostram presentiam accedentes in nostra et fratrum nostrorum presentia in nostro Consistorio constituti prelatorum et aliorum multorum fidelium multitudine copiosa presente suis sindicatibus per quos eosdem procuratores sindicos et nuncios ad omnia et singula infrascripta dicenda proponenda recognoscenda confitenda petenda gerenda facienda et recipienda mandatum ab ipsis sufficiens et potestatem habere plenariam constitit euidenter exhibitis, proposuerunt recognouerunt confessi sunt et petierunt dictorum cleri Communis et populi que secuntur. Coram nobis et contenti in prima ... se solenniter obligabunt. Nos autem predictis recognitionibus confessionibus petitionibus et supplicationibus intellectis ac promissionibus et iuramentis receptis culparum delictorum et excessuum

eorum predictorum non attenta magnitudine sed illius uestigijs cuius proprium est misereri semper et parcere potius inherendo uolentes cum eis agere misericorditer in hac parte ipsos clerum Commune ac populum Ciuitatis Comitatus ac districtus predictorum ad nostram et eiusdem ecclesie gratiam recepimus sub modis et formis per prenominatos sindicos procuratores et nuncios eorum promissis et in actis eorundem cleri Communis et populi insertis sicut superius continetur. Ipsos quoque in eodem nominibus ab omnibus processibus penis et sententijs quos et quas propter rebellionem predictam et adhesionem dictorum L. de Bauaria et P. de Corbaria et alia premissa per eosdem procuratores sindicos et nuncios predictorum cleri Communis et populi nomine recognita et confessata factis latis seu promulgatis ab homine uel a iure quocumque modo incurrerunt de dictorum fratrum consilio absoluendos et in integrum restituendos ad famam statum priuilegia honores et bona et ab ipsis omnem infamie maculam siue notam ex premissis obortam penitus duximus abolendam Imponendi et iniungendi per nos uel alium seu alios eis et eorum singulis semel uel pluries ac etiam infligendi quascumque penas et penitentias de quibus nobis uidebitur in eo dominus potestate retenta. Ita tamen quod ipsi omnia et singula per eosdem Sindicos procuratores et nuncios suos promissa inita acta et gesta in premissis et circa ea infra instans festum natiuitatis dominice ratificent et approbent expresse ac promittant et iurent seque obligent ea completuros, prout ad ipsos et eorum quemlibet pertinet et in futurum pertinebit firmatiuas inde confectas duobus publicis consimilibus instrumentis fieri literarum inter super hec confectarum continentibus ac eorundem cleri Communis et populi sigillo munitis quorum uno penes eosdem Clerum Commune ac populum remanente reliquum nobis per illos de quibus ordinaremus deferretur fideliter uel etiam mittetur. Interdictum autem cui Clerus Ciuitas Comitatus et districtus predicti occasione premissorum subiacebant usque ad

Ad istud signum quod in prima pagina quaterni ✠